

DOMINICA II POST NATIVITATEM DOMINI

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

**Evangelium in secunda dominica post Nativitatem:
*Cum factus esset Iesus, quod in tribus clausulis dividitur.***

In primis thema sermonis in Quadragesima ad poenitentes, ibi: *Ponite corda vestra.*

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item de duodenario virtutum et parentibus viri iusti, scilicet spe et timore, ibi: *Cum factus esset.*

Item ad contemplativos, ibi: *Portae Ierusalem.*

Item de triplici statu poenitentium, ibi: *Tribus vicibus per annum;* et de ipsorum triplici oblatione, ibi: *Obsecro vos.*

DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de compassione proximi, ibi: *Erat visio.*

Item de triduo poenitentium, ibi: *Viam trium dierum.*

DE TERTIA CLAUSULA. Thema sermonis de humilitate et obedientia, ibi: *Dilectus meus descendit in hortum suum;* et ibi: *Florebit amygdalus;* et ibi: *Erat subditus illis.*

Exordium. Sermo in Quadragesima ad poenitentes

1. --- In illo tempore: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim etc.* (Lc 2, 42).

Dicit Dominus in Aggaeo propheta: *Ponite corda vestra super vias vestras; ascendite in montem, portate*

lignum et aedificate domum (Agg 1, 7-8). Nota quod in his tribus verbis: ponite, ascendite, portate, notantur contritio, confessio et satisfactio; quas qui habet, domum nomini Domini poterit aedificare. Viae sunt actiones nostrae, unde Ieremias: ***Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris (Ier 2, 23).*** Quaere in Evangelio: ***Erat Iesus eiciens daemonium (Dominica III in Quadragesima, prima clausula).*** Cor autem super vias ponere est in cordis contritione quid egerit cogitare. Unde in Psalmo: ***Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua (Ps 118, 59).*** Sed, quia rarus vel nullus est qui hoc faciat, ideo conqueritur Dominus per Ieremiam: ***Attendi, inquit, et auscultavi: Nemo quod bonum est loquitur; nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in proelium (Ier 8, 6).*** David, quia cor suum super vias suas posuerat, ideo pedes, idest affectus suos, in testimonia, idest martyria Domini, converterat. Isti vero, quia non cogitant quid faciunt, nec poenitentiam agunt, ideo ad cursum temporalium se convertunt. Qui interiora sua non cognoscit, ad exteriora aliena se convertit. Alienum est quidquid tecum in morte ferre non potes. Pone ergo cor tuum super tua et non super aliena, quia ubi cor, ibi oculus; ubi oculus, ibi cognitio; ubi tui cognitio, ibi remissio.

Ponite ergo corda vestra super vias vestras, et sic ascendere poteritis in montem, in quo confessio designatur, quae est ***mons Dei, mons pinguis (Ps 67, 16).*** De cuius pinguedine in Psalmo: ***Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (Ps 62, 6).*** ***Impinguasti, inquit, in oleo, idest in lumine confessionis, caput meum, idest mentem meam, et sic calix meus, idest lacrimarum potus, quam praeclarus est (Ps 22,5).*** ***O quam pulchra est casta generatio, cum claritate! (Sap 4, 1).*** Confessio, quia ex contritione generatur, ideo generatio dici potest, cuius pulchritudo in castitate et claritate consistit: castitate, ut

omnia peccata uni sacerdoti denudentur et non per plures dividantur; claritate, ut confitens lacrimis perfundatur, quibus ipsius conscientia clarificatur.

Sequitur: *Portate lignum*, in quo poenitentiae satisfactio designatur: de monte confessionis portans poenitens lignum satisfactionis. Et nota quod, sicut in ligno crucis Christi fuit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, sic in ligno, idest in cruce poenitentiae, debent esse longitudo perseverantiae finalis, latitudo caritatis, sublimitas spei, profundum timoris. Ex his aedificatur domus Domini, in civitate Ierusalem, de qua dicitur in hodierno evangelio: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendit illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi (Lc 2,42).*

2. --- Nota quod in hoc Evangelio tria notantur. Primum, Iesu et parentum eius in Ierusalem ascensio, ibi: *Cum factus esset*. Secundum, post triduum ipsius inventio, ibi: *Et factum est*. Tertium, cum parentibus eiusdem in Nazareth descensio, ibi: *Et descendit cum eis*.

In introitu hodiernae missae cantatur: In excelso ihrono, et legitur epistola beati Pauli ad Romanos, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus Evangelii clausulis concordare. Prima particula: *Obsecro*. Secunda: *Nolite conformari*. Tertia: *Dico enim per gratiam*.

I - De Iesu et parentum eius in Ierusalem ascensione

3. --- Dicamus ergo: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim*. Quid puer Iesus, quid parentes eius, quid Ierosolyma, quid consuetudo diei festi moraliter significant videamus.

In hoc duplici nomine, *puer Iesus*, notatur perfectio viri iusti, qui debet esse *puer*, idest purus, quoad seipsum, *Iesus*, idest salvator, quoad proximum. Ad hoc quod sit purus sex sunt ei necessaria, scilicet cordis munditia, corporis castimonia, inter adversa, ne deiciatur, patientia, inter prospera, ne elevetur, constantia, et, ut in his valeat perseverare, humilitas et paupertas. Ad hoc vero quod sit salvator sex misericordiae opera sunt ei necessaria, quae sunt: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* etc. (Mt 25, 35). Hic est duodenarius numerus annorum viri iusti, qui desiderat ascendere Ierosolymam cum puero Iesu, de quo dicitur: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim.*

Sequitur: *Ascendentibus illis.* Parentes Iesu, Ioseph et Maria: Ioseph augmentum, Maria mare amarum interpretatur. Non quia amarum habuit poenitentiae gemitum, sed quia in Filii Passione, quodam quasi praesagio, nomen amaritudinis est sortita. In his duobus spes et timor designantur, qui sunt quasi parentes viri iusti. Spes est bonorum expectatio futurorum, quae exprimit humilitatis affectum et sedulum servitutis obsequium. Ecce Ioseph, humilis et sedulus minister. Spes autem vocata, quod sit pes progrediendi, ecce augmentum. E contrario dicitur desperatio, cui nulla progrediendi est facultas, quia, dum quisque peccatum amat, futuram gloriam non sperat. Et, ne spes praesumptione corrumpatur, debet ei timor coniungi, qui est initium sapientiae, ad cuius saporis dulcedinem nullus potest pervenire, nisi prius timoris degustet amaritudinem. Unde dicitur in Exodo, quod filii Israel, antequam ad mannae dulcedinem venirent, invenerunt in Mara aquae amaritudinem. Per amarae enim poculum confectionis pervenitur ad gaudium sanitatis.

Cum istis parentibus vir iustus debet ascendere in Ierusalem, in qua vitae excellentia, mentis

tranquillitas, contemplationis suavitas designatur. Unde dicit Tobias: *Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide mundo et candido omnes plateae eius sternentur, et per vicos eius Alleluia cantabitur (Tob 13, 21-22)*. In sapphiro, qui aerei, et smaragdo, qui viridis est coloris, vitae excellentia, quae consistit in contemptu terrenorum et desiderio aeternorum; in lapide pretioso, mundo et candido, mentis tranquillitas; in Alleluia contemplationis notatur suavitas. Quaere superius in tertia dominica septembris, et invenies plenius in historia Tobiae hanc auctoritatem expositam.

4. --- Sequitur: *Secundum consuetudinem diei festi (Lc 2, 42)*. Moyses praecepit filiis Israel, in Deuteronomio, dicens: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in solemnitate azymorum, idest pascha, et in solemnitate hebdomadarum et tabernaculorum. Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei (Deut 16, 16-17)*. Nota quod, in triplici solemnitate triplex notatur status, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. In solemnitate azymorum notatur status incipientium, qui *in azymis sinceritatis et veritatis (1 Cor 5, 8)* debent pascha celebrare et agnum cum lactucis agrestibus, idest suorum peccatorum amaritudine, comedere. De hoc quaere in Evangelio Resurrectionis. In solemnitate hebdomadarum, in qua offerebantur duo novi panes primitiarum Domino, status proficientium, quorum interior homo renovatur de die in diem, qui novos panes, idest mentis et corporis munditiam, Domino offerunt. In solemnitate tabernaculorum, quae scenopegia, idest fixio tabernaculorum, dicitur, status perfectorum, qui, ut dicit Isaias, *sedent in tabernaculis fiduciae. Quorum tabernacula, ut dicit Balaam, in libro Numeri, sunt*

pulchra, ut valles nemorosae, in quibus paupertatis humilitas, praestans obumbraculum contra ardorem temporalium, ut horti iuxta fluvios irrigui (Num 24, 5-6), in quibus infusio gratiae, refrigerans sitim carnalis concupiscentiae, designatur. Haec est ergo consuetudo diei festi, secundum quam quilibet vir iustus tenetur et debet ascendere in Ierusalem, ubi, ne ante Dominum vacuus appareat, debet offerre agnum innocentiae quoad proximum, duos novos panes duplicis continentiae quoad seipsum, et, ut dicitur in Levitico, debet sumere fructus arboris pulcherrimae, spatulasque palmarum etc. Require in ultima clausula Evangelii in Ramis palmarum.

5. --- Huic primae clausulae concordat prima pars epistolae: *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum (Rom 12, 1)*. Quicumque vir iustus cum parentibus in Ierusalem, secundum consuetudinem diei festi, vult ascendere, necesse est ipsum ista tria, quae hic ponit Apostolus, observare; alioquin vacuus apparebit ante Dominum, qui dicit in Levitico: *Quidquid obtuleris sacrificii sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione, scilicet boni operis, offeres sal (Lev 2, 13)* discretionis.

Obsecro ergo, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Nota ista tria verba: *viventem, sanctam, Deo placentem.* Incipientes debent corpora sua exhibere *hostiam viventem*, proficientes *sanctam*, perfecti *Deo placentem*. Super his tribus habes concordantiam in Levitico, ubi tria genera ponuntur oblationum. Prima fiebat de pecoribus, secunda de avibus, tertia de simila, oleo conspersa. Et hoc tribus modis: in clibano, in sartagine, in craticula.

Prima offerunt incipientes, unde ibi dicitur: *Detracta*

pelle hostiae, artus in frusta concident; et subiicient in altari ignem, strues lignorum ante composita; et membra quae caesa sunt desuper ordinantes, caput videlicet et cuncta quae adhaerent iecori, intestinis et pedibus lotis aqua, adolebit que ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino (Lev 1, 6-9). Altare est cor; ignis, divinus amor; strues lignorum, congeries Christi passionum; pellis detractio, reatus denudatio; artus vel membra caesa, circumstantiae in confessione manifestae; caput, peccati origo; iecur, ipsius pertinax amor; intestina, cogitationum immunditia; pedes, gressus; aquae, effusio lacrimarum.

Peccator ergo conversus, incipiens poenitere, in altari sui cordis prius debet componere congeriem passionum Christi, scilicet flagella, alapas, sputa, crucem, clavos, lanceam, et postea in confessione reatum denudare et eius circumstantias minutatim dividere, et quae ipsius fuerit origo et quanta in ipso delectatio et amor. Debet etiam aqua lacrimarum abluere immunditiam cogitationis et operis. Si haec omnia ita fuerint ordinata et composita super congeriem passionum Christi Iesu, ipse, qui est summus sacerdos, subicit ignem sui amoris, qui devorabit omnia peccata, et tunc ipse poenitens fiet holocaustum, idest totum incensum, nihil sibi de se reservans, sed totum se servituti Domini subiciens, ut sit bonus Christi odor in omni loco; et sic exhibebit corpus suum hostiam viventem: hostiam, quia peccato mortuum; viventem, quia iustitiae vivum, unde Apostolus: *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus (Gal 2, 20).*

6. --- Sequitur: *Sanctam*. Proficientes offerunt secundam oblationem, de qua in eodem Levitico subinfertur: *Si de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus et pullis columbae, offeret eam sacerdos ad altare; et, retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco,*

decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris. Vesiculam vero gutturis et plumas proiciet prope altare, ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent; confringetque ascellas eius, et non secabit nec ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum et oblatio suavissimi odoris Domino (Lev 1, 14-17). Tunc holocausti oblatio fit de avibus, cum vir iustus, pennatus virtutibus, qui in turture et columba propter castitatem, simplicitatem et gemitum poenitentiae designatur, proficit de virtute in virtutem. Qui caput ad collum, os ad ascellas tunc retorquet, cum quod ore praedicat opere exercet. Ex tali tortione fit ruptio, idest mentis devotio, ex qua decurrit sanguis lacrimarum, quae sunt, ut dicit AUGUSTINUS, sanguis animae.

Super crepidinem altaris, idest animum auditoris, dulcis symphonia vocis et operis in praedicante devotionem excitat, quae audientis cor penetrat. Ne ergo, ut dicit Ecclesiasticus, impedias symphoniam (Cf. Eccli 32, 5).

In vesicula gutturis ardor avaritiae, in plumis levitas superbiae designatur, quae vir iustus a se proicit, *ad orientalem plagam, in loco cinerum*, cum considerat a quanta felicitatis gloria cecidit per avaritiam et superbiam priorum parentum, quibus dictum est: *Cinis es* etc.

Confringit ascellas, cum considerans dominicae Passionis humilitatem, suas deponit virtutes. Unde Ezechiel: Cum fieret vox super firmamentum, animalia submittebant alas suas. Firmamentum est Christus, super quem fuit facta vox, scilicet: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (Mt 26, 31)*. Cum haec animalia, idest sancti, audiunt, submitunt virtutes suas, non de ipsis, sed de percussi Pastoris Passione confidentes. Vir

iustus, qui quotidie in melius proficit, virtutum ascillas humilitate confringit, non in tempore adversitatis ferro impatientiae a se dividit, et sic seipsum adolet hostiam sanctam super altare, idest imitationem dominicae Passionis, igne sanctae devotionis supposito lignis, idest sanctorum patrum exemplis, et sic totus fit holocaustum et oblatio suavissimi odoris Domino.

7. --- Sequitur: *Deo placentem*. Perfecti viri offerunt tertiam oblationem, quae, ut in eodem Levitico dicitur, erat de simila oleo conspersa. Simila, purgatissima et candidissima farina, est perfecti viri vita, quae caret furfure mundanae vanitatis, candet munditia castitatis et conspergitur oleo pietatis. Hoc coquitur in clibano paupertatis, frigitur in sartagine alienae necessitatis vel infirmitatis, assatur in craticula dominicae Passionis. Vere, vere haec hostia est placens Deo.

Ista tria supradicta faciunt *rationabile obsequium*, discretione sincerum, sanctitate plenum.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Iesum Christum, ut, qui cum suis parentibus Ierusalem ascendit, et nos in supradicto virtutum duodenario, cum spe et timore, in Ierusalem moralem ascendere faciat, qua in triplici solemnitate ei hostiam viventem, sanctam, ipsi placentem, offerre valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in caelesti Ierusalem. Alleluia. Amen. Alleluia.

II - De Iesu post triduum inventione

8. --- Sequitur secundum. *Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos (Lc 2, 46)*. Quid triduum et templum, quid Iesu sessio, quid doctores, quid audire ipsius et interrogare significant, videamus.

Triduum est propriae iniquitatis cognitio, fraternae necessitatis compassio, divinae pietatis consideratio vel admiratio. De primo in Michaea propheta: *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est (Mich 7, 8)*. De secundo in Ezechiele: *Erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens (Ez 1, 13)*. Splendor ignis est compassio caritatis, quae accendit et illuminat, de qua egreditur fulgur mirae operationis. Haec visio, quae vere videre facit, debet discurrere in medio animalium, idest christianorum. Et bene dicit *discurrens*, idest per diversa currens. Verae compassioni non sufficit providere necessitati corporis nisi provideat et animae, et e converso. Si quis infirmatur corpore, et ipsa infirmatur; si quis scandalizatur in anima, et ipsa uritur. Item, de tertio in Ecclesiaste: *Dulce lumen, et delectabile est oculis, scilicet mentis, videre solem, idest considerare divinae pietatis claritatem. Quicumque hoc triduum perfecerint, Iesum in templo invenire poterunt.*

Templum dictum, quasi tectum amplum, est mens viri iusti, quae est *tectum*, quia tegit compassionem necessitatem proximi, *amplum* cognitione sui et Dei. In tali templo post tale triduum invenitur Iesus. Et quid ibi facit? Tria facit: sedet in medio doctorum, audit et interrogat. In mente viri iusti sunt doctores, idest rationis affectus, qui docent quid cavendum et quid sit agendum, in quorum medio Iesus sedet, cum mentem pacificat, in pacificata quiescit, quiescens omnia suaviter disponit. Hoc est quod dicit Iob: *Cum sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen maerentium consolator (Iob 29, 25)*. Ecce consolatio: audire et interrogare. Cum mens est in quietis silentio, tunc Iesus audit affectum cordis, in ipsius aure loquentis, et post interrogat flagello piaee correctionis. Hoc est quod dicit Iob: *Visitas eum diluculo, ecce auditio, et subito probas illum (Iob 7, 18)*, ecce interrogatio. Haec est consolatio maerentium, idest iustorum, qui maerent pro irriguo

superiori (Cf. Ios 15, 18-19) in valle lacrimarum, ut eos beatus Iesus audiat et interroget, visitet et probet. *Haec, inquit Iob, sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat (Iob 6,10).*

9. --- Aliter exponi potest. Triduum est poenitentia, quae in tribus consistit: contritione, confessione, satisfactione. De quo triduo dicit Moyses in Exodo: Viam trium dierum pergemus in solitudinem et sacrificabimus Domino Deo nostro. Post hoc triduum, Ioseph et Maria, idest poenitentes spiritu, pauperes et humiles, invenient Iesum in templo caelestis Ierusalem. Hoc est quod dicitur in Genesi, quod pincerna post tres dies fuit restitutus in gradum pristinum.

Sedentem, inquit, in medio doctorum. Hoc est quod dicit Ioannes in Apocalypsi: *Vidi, et ecce sedes posita erat in caelo, et super sedem sedens, et in circuitu sedis sedilia vigintiquattuor, et super thronos vigintiquattuor seniores (Apoc 4, 1-2.4),* in quibus duodecim patriarchae et duodecim apostoli possunt designari, *sedentes, circumamictos vestimentis albis, et in capitibus coronas aureas (Apoc 4, 4).* Istud idem fere cantatur in introitu hodiernae missae: In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo angelorum, psallentes in unum, cuius imperium in aeternum. Unde ibi subinfertur: *Et procidebant vigintiquattuor ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum (Apoc 4, 10).* Amen. Item, et cantabant canticum novum, *dicentes: Dignus es, Domine etc. (Apoc 4, 11).*

Sequitur: *Audientem et interrogantem illos.* Beatos spiritus Dominus tunc *audit,* cum nostrae devotionis oblationem per eorum ministerium gratanter suscipit. Unde in Apocalypsi: *Ascendit fumus incensurum de orationibus sanctorum et de manu angeli (Apoc 8, 4);* et Raphael in Tobia: *Ego, inquit, obtuli orationem tuam*

Domino (Tob 12, 12). Omnes, inquit Apostolus, sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis (Hebr 1, 14). Interrogat, cum eis suae voluntatis secretum revelat.

10. --- Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Nolite conformari huic saeculo (Rom 12, 2)*. Dicit Deus in Isaia: *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum (Is 54, 16)*. Faber est diabolus, quem Deus creavit secundum substantiam. Hic, sufflatorio malae suggestionis, sufflat in igne prunas, idest igneas prunas, idest incentiva vitiorum. Hoc saeculum est quasi fornax Babyloniae, de qua dicitur in Daniele: *Fornax succensa erat nimis etc. (Dan 3, 22)*. Require supra in historia Danielis, in secunda dominica Novembris (*Dominica XXII post pentecosten, secunda clausula*). Haec fornax cum flatu diaboli sic succenditur, ferrum, idest superbi, plumbum, idest avari, stannum, idest luxuriosi, liquefiunt; et tunc diabolus format et profert *vas in opus suum*, idest ut faciat voluntatem suam. Alius enim vadit in formam superbiae, alius in formam avaritiae, alius in formam luxuriae. Haec sunt vasa irae et contumeliae, quae proicientur in stercus damnationis aeternae. Vos ergo, qui cum Maria et Ioseph Iesum quaeritis et invenire desideratis, *nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri (Rom 12, 2)*. Hoc est quod dicit Isaias: *Erunt quinque civitates in terra Aegypti etc. (Is 19, 18)*. Require superius in moralitate sermonis: *Cum fortis armatus (Dominica III in Quadragesima, tertia clausula)*

Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta (Rom 12, 2)*. Ecce triduum, post quod invenitur Iesus in templo. Voluntas Dei bona est in cordis contritione, beneplacens in confessione, perfecta in satisfactione. De prima in Psalmo: *Benigne fac in bona

voluntate tua Sion etc. (Ps 50, 20), et in libro Sapientiae: *O quam bonus est, Domine, spiritus tuus in omnibus* (Sap 12, 1). De secunda in Daniele: *Sic fiat sacrificium nostrum, scilicet confessionis, in conspectu tuo, ut placeat tibi* (Dan 3, 40). Unde in Genesi: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius* (Gen 4,4). De tertia in Psalmo: *Perfice gressus meos in semitis tuis* (Ps 16, 5), in quibus vitae austeritas, satisfactionis asperitas designatur.

Rogemus ergo Dominum Iesum Christum, ut hoc triduum ita det nobis perficere, qua in caelesti templo, in medio angelorum sedentem, ipsum mereamur invenire, qui est benedictus per aeterna saecula. Amen.

III - De Iesu cum parentibus in Nazareth descensione

11. --- Sequitur tertium. *Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis* (Lc 5, 21). Nota ista tria verba: descendit, Nazareth et subditus. Descendat et sedeat in pulvere filia Babylon, quia Filius Dei descendit. O rigida superbia, quae super altitudinem nubium niteris conscendere, super astra caeli solium tuum exaltare, in monte testamenti sedere, descende, obsecro, quia Iesus descendit. Et tu, Capharnaum, usque ad caelum exaltata, antequam demergaris ad infernum, descende cum Iesu, qui est paradus: *Emissiones tuae, inquit, paradus* (Cant 4, 13). O meretrix, quae sedes super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiae (Apoc 17, 3), descende cum Iesu. Erubescat, erubescat iam infrunita superbia, concidat turgida arrogantia, quia Dei sapientia descendit. Miser homo, manibus et pedibus reptans, ad honorem, immo sui dedecoris, gradum nititur ascendere, et beatus Iesus, ad increpationem piaem matris, dicentis: *Fili, quid fecisti nobis sic?* (Lc 2, 48) usque ad triginta annos negotium distulit, quod inceperat duodennis, et de templo, quo in medio doctorum sedebat, descendit.

12. --- Sequitur: *Et venit Nazareth*. Hoc est quod dicit sponsa in Canticis: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum (Cant 6,1)*, idest humilitatem, quae est procreatrix ceterarum virtutum. Hunc locum sub compendio proposueramus transire, sed amoenitas Nazareth nos transire non patitur. Pulchritudo loci, gratia floris, suavitas odoris, ad nuptias in Cana Galilaeae celebrandas properantes detinet et retardat.

Nazareth, locus humilis, interpretatur flos, et significat humilitatem, quae bene dicitur flos, in quo tria notantur: pulchritudo coloris, suavitas odoris et spes fructus. Sic in humilitate vera est pulchritudo honestatis. Unde in Ecclesiastico: *Flores mei fructus honoris et honestatis (Eccli 24, 23)*.

Suavitas bonae opinionis. Sicut flos cum spirat odorem non corrumpitur, sic vere humilis non elevatur, dum de bonae vitae odore laudatur. Vere humilis, inquit BERNARDUS, vult vilis haberi, et non humilis praedicari. Unde Salomon in Ecclesiaste: *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta et dissipabitur capparitis (Eccl 12,5)*. Amygdalus, quae ante alias arbores flores emittit, est humilis, qui dicit cum David in secundo Regum: *Ludam ante Dominum et vilior fiam plus quam factus sum; et ero humilis in oculis meis (2 Reg 6, 22)*. De hoc ludo dicit Sapia Patris in Parabolis: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum (Prov 8, 30-31)*. Filius, beatus Iesus, coram Patre ludebat, cum a discipulo tradebatur, ad columnam ligatus flagellabatur, ab Herode illudebatur, spinis coronabatur, alapis et colaphis caedebatur, sputis linebatur, eius facies velabatur, caput arundine percutiebatur, barba depilabatur. Ludebat etiam, cum, *baiulans sibi crucem, exiit in eum locum qui dicitur Golgotha (Io 19, 17)* ubi a militibus crucifigitur, a principibus deridetur, felle et

aceto potatur, eius latus lancea perforatur. Ecce qualiter lusit et vilis fuit Dei sapientia in orbe terrarum. Ecce quales habuit delicias cum filiis hominum. Huic ludo se coaptat pro posse verus humilis, qui quanto in se vilis, tanto coram Deo est sublimis.

Florebit ergo amygdalus et impinguabitur locusta. Cum humilitas in mente, honestas in opere florent, tunc impinguabitur locusta, idest anima ipsius humilis, dans saltum contemplationis. Non impinguabitur, sicut hypocrita, odore propriae laudis, sed flore verae humilitatis. Impinguabitur a flore proprio, non ab ore alieno; et tunc dissipatur capparitis, idest superbia et vanagloria.

Item, spes fructus percipiendi ab ubertate domus Domini. Cum videro florem, spero fructum; sic, cum videro verum humilem, spero ipsum beatum in caelis affuturum. Sed, heu! ut dicit Isaias, *omnis hypocrita est nequam (Is 9, 17)*, et Michaeas: *Qui optimus est in eis, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe (Mic 7, 4)*. Vere hodie omnis est hypocrita, paliurus et spina. Hypocrita, quod non est simulans; paliurus, mollis verbis, pungens factis; spina, transeuntes vulnerans, ut laudis et pecuniae sanguinem emungat. In horto Nazareth non paliurus et spina, sed lilium et viola, et ideo Iesus *venit Nazareth*.

13. --- Sequitur: *Et erat subditus illis*. Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia, humiliet se omnis inobedientia, cum audit: *Et erat subditus illis*. Quis *subditus*? Qui solo verbo omnia creavit ex nihilo. *Qui*, ut dicit Isaias, *mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit, qui appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes et colles in statera (Is 40, 12)*. *Qui*, ut dicit Iob, *commovet terram de loco suo, et columnae caeli concutientur. Qui praecipit soli et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit*

caelos solus, et graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum et Oriona et Hyadas et interiora Austri. Qui facit magna et incomprehensibilia, et mirabilia quorum non est numerus (Iob 9, 6-10). Qui concentum caeli dormire facit. Qui quasi hamo capiet et extrahet Leviathan, et fune ligabit linguam eius et in sudibus perforabit nares eius et armilla perforabit maxillam eius (Cf. Iob 40, 19-21). Iste talis ac tantus erat subditus illis.

Quibus *illis?* Fabro et pauperulae Virgini. O primus, o novissimus, o angelorum praelatus et hominibus subditus! Caeli creator subditur fabro, Deus aeternae gloriae virgini pauperulae. Quis audivit umquam tale? Et quis vidit huic simile? Non ergo dedignetur obedire et subdi philosophus piscatori, sapiens simplici, litteratus idiotae, filius principis ignobili.

14. --- Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: *Dico enim, per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, philosophis, sapientibus, litteratis, nobiles, et qui huiusmodi sunt, non plus sapere - unde alibi: Noli altum sapere, sed time (Rom 11, 20) - quam oportet sapere (Rom 12,3).* Multum deest tibi ad sapientiam, si tibi sapiens non es. Sapiens non es, si plus sapis quam oportet. Sapere quod oportet istud est: descendere, Nazareth venire, subdi et perfecte obedire. Hoc debet esse totum tuum sapere, et hoc *sapere* est tibi *ad sobrietatem (Rom I.c.)*. Plus sapere est ad ebrietatem, in qua omnis sapientia desipit. Plus sapere et plus discemere quam oportet, errare faciunt animale discretum, novitium prudentem, incipientem sapientem, sicut errat ebrius et vomens. Perfecta, inquit Bernardus, obedientia est maxime in incipiente indiscreta, hoc est non discernere quid vel quare praecipitur; sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat quod a maiore praecipitur. Haec omnis sit eius discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio. Haec omnis eius sapientia sit, ut in hac

parte nulla ei sit. Et hoc est *sapere ad sobrietatem*. Pura simplicitas, quae est aqua Siloe, quae vadit cum silentio sobriam reddit animam, quasi vinum sapientiae sapientum huius mundi limphetur, eorum sapere erit sapere ad sobrietatem. Si qui in religione sapientes sunt, eos Deus per simplices aggregavit. Elegit enim stulta et infima, infirma et ignobilia, ut per ipsa aggregaret sapientes, fortes et nobiles, ut in se non gloriatur omnis caro, sed in illo, qui *descendit et venit Nazareth et erat subditus illis*. Cui est honor et gloria per aeterna saecula. Dicat omnis simplex et subdita anima: Amen. Alleluia!